

suspiciendum faciles esse, nisi felle amariorum velint vitam vivere. Est enim talis suspicio, crudelis quidam carnifex, et vermis perpetuo rodens animumque suspicantis exedens, juxta id Cant. VIII. *Dura sicut infernus æmulatio*; ideo ad tollendam hanc a conjugibus crucem, permisit Deus in hoc uno casu probationem per aquas amarissimas et maledictas, Num. V. Quæ si innocens esset mulier, nihil ei nocebant, sin vero rea foret, inflarent et dirumperent uterum ejus. Per hoc enim liberabatur vir a suspitione ipsum torquente, uxor a vexatione mariti et periculo homicidii, etc. Porro nunc, quia judicialia et cæremonialia veteris legis præcepta cessaverunt, uti hoc examine non licet. Remedium aliud per quam salutare præscribit Alphonsus Aragoniæ rex, qui dicere solebat: *Tum demum matrimonia tranquille exigentur, si vir surdus, uxor cæca sit*: significabat autem plerasque rixas quæ in hoc statu interveniunt, excitari potissimum ex zelotypia conjugum, quorum si hic surdus foret, non attendens ad uxoris garulitatem, colloquia, etc. cum inani suspitione quælibet ejus dicta sinistre interpretans, nec facile credens aliorum narrationibus et fabulis; uxor vero cæca, non curiose inspiciens vel indagans omnia mariti gesta, nec in alios facile viros, oculos injiciens; tum demum tranquillam acturos esse vitam. Cæterum nimia zelotypia sæpe malum adducit ipsi suspicanti, quod docet Ecclesiasticus, cap. IX. dicens: *Non zeles mulierem sinus tui, ne ostendat super te malitiam doctrinæ suæ*, id est, ne illi occasionem hoc pacto des confugiendi ad maleficia et artes malas, quibus vindicare se et redimere a vexatione studeat. Alia littera habet: *Ne doceas in teipsum doctrinam malam*, q. d. ne doceas eam hoc ipsum facere, et facto ipso designare, quod de ipsa suspicaris malum, vel simili modo te suspectum habere de eodem vitio. Si enim honeste prius vivebat, facile immutabit eum, quo te prosequeretur, amorem; et forte id audebit, quod nunquam ausa fuisset. Certe pœnam luit justo Dei judicio Ludovicus Crassus Galliæ rex, quod de Richarda uxore sua castissima sentiret male, imo vocasset adulteram, nec tamen posset eam de crimine convincere, nam derelictus est ab omnibus etiam domesticis, tantaque pressus inopia, ut vel tenuem victum emendicare coactus fuerit ab Arnaldo Bavariæ ducis filio, nec multo post mœrore confectus obiret, ann. 887. Belleff. in Crasso.

III. Concordia: hæc enim unum est ex illis quæ Deo placere dicuntur, Eccl. XXV. *Vir nimirum et mulier bene sibi consentientes*. Contra vero

discordia eorundem perplacet diabolo. Quam enim multa bona facerent, si bene concordarent; tam multa mala faciunt, si discordent. Novimus vulpes illas caudis tantum, non capitibus, colligatas, et ignem in caudis gestantes vastasse Philistæorum segetem, vineas et olivela, Jud. XV. Idem agent conjuges si carne solum colligati, animis sint discordes: non enim seipsos tantum perdent, remque familiarem, sed et alios conturbabunt et molestiis afficient. Ignem hunc rixarum et contentionum ipsi inter se conjuges excitant, quando neuter alteri cedere vult, sed arietum instar cornibus concurrunt. Quis enim nescit a chalybe et silice collis ignem excitari, per duritiam utriusque? Non displicet quod in hanc rem excogitavit R. Abraham Ben Esra in Hebraico nomine Ischa, significante mulierem, contineri nomen Dei Ia, quod si inde auferatur, manere vocem esch, hoc est, ignem, ad indicandum, si Deus non adsit conjugibus, a quibus ametur et timeatur, tum solum remanere ignem discordiarum et rixarum, omnia vastantem. Quod si igitur liberari ab hac cruce et temporali inferno volunt, ambo seipsos mortificent, et duritiam morum suorum frangant. Pulchre hoc documentum designarunt veteres, per quas palmas marem et femellam, adversis ripis stantes et ad mutuam complexum incurvatas, adeoque veluti pontem super rivulo facientes; quod hæc eorum sit natura, ut mas feminam attrahat eique innectatur. Hoc enim faciendum volebant conjugibus, ut si qua inter eos currit difformitas aut controversia, ipsi mutuo suam flectant duritiam, et in unum tandem voluntates suas conferant, itaque pontem faciant sibi et aliis utilem.

IV. Castitas. Qua de re apostolus, ad Heb. XIII. *Honorabile connubium (sit) in omnibus et thorus immaculatus*: et I. Thess. IV. *Sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore: non in passione desiderii sicut et gentes, quæ ignorant Deum*. Porro hac de re documenta quædam parabolice proponemus. Noverint ergo primo, conjuges, conjugalem cohabitationem vino similem esse; quemadmodum enim vinum moderatum salubre est et sanitati conducit, nimium vero et immodicum nocet et inebriat, licet ex propria cella veniat; ita nimio delectationum conjugalium vino castitatem everti. Vidit hoc Xystus Pythagoricus philosophus, qui dixit: *Adulter est in suam uxorem omnis impudicus amator ardentior*. Quia nimirum in ea quærit solam voluptatem, non prolem, sicut adulter in adultera. Ita S. Egidius socius S. Francisci sæculari cuidam de castitate conjugali glorianti, et ab adulterio

immum respondit: *Ne propterea glorieris; potest enim quis non minus e proprio vase, quam alieno inebriari*. Noverat utique hoc S. Ludovicus Galliæ rex, qui aliquando cum conjugem in thalamo licentius agens inventu matris deprehensus magno rubore suffusus est, licet nihil pudendum egerit, Balingh. in zoop.

Item sicut vinum non debet bibi ad voluptatem, sed ad naturæ sustentationem et corroborationem, in quem finem creatum est, quique eum perverteret, saltem venialiter peccaret; sic sentiendum de cohabitatione conjugali. Pœnam luerunt eamque gravissimam septem mariti Saræ, quod hac in re deliquerunt. Omnes enim a dæmone enecti sunt, quod scilicet velut equi non ut homines ad eam appropinquarent.

Secundo, similem esse semini, quod jacitur in agrum. Ut enim sapiens agriculator in terram germinantem non jacit semen secundo antequam metat segetem, ne alioquin et jactam segetem perdat et semen, sed messe ex primo patienter expectat, sic agendum in matrimonio ne fœtus perimatur, ut vult Hieron. l. I. contra Jovinianum. Rursum observant agricolæ, ne in terram madidam et lutosam jacent frumentum, ne alioquin pro frumento prodeant zizania: idem observandum in conjugio, ne liberi progignantur lepræ et similibus defectibus obnoxii, quod facile continget, nisi servetur id Salomonis: *Tempus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexibus*, Ecclesiastes III.

Rursum prudens agricola non jacit semen in aquam, viam, petras, etc. ubi fructificare nequit, sed in agrum, velut matrem frugum, quæ semen recipere et fruges parere queat. Contra hoc præscriptum et naturalem legem, quia peccaverunt duo filii Judæ, Her et Onan, ideo a Deo percussi et occisi sunt; speciatim Her dicitur nequam in conspectu Domini, Gen. XXXVIII. Vidit aliquando Sancta Christina mundum hoc peccato pollutionis plenum, ideoque Deum toti mundo gravissimas intentare plagas, quas ut averteret, ipsa miris et horrendis modis seipsam discruciat. Neque hoc mirum, si enim Deus in sæculo illo adhuc rudi adeo punivit Her et Onan, quanto magis puniendi, qui in luce evangelii semetipsos polluunt? Denique, nemo prudens perdit aut perire grandine cupit semen, quod in agrum jecit. « Ita nulla mulier, (inquit S. August. serm. CCXLIV. de tempore) potationes ad abortum accipiat, nec filios aut conceptos aut jam natos occidat, quia quæcumque fecerit hoc, ante Christi tribunal sciat se illic eorum causam, quos occiderit esse daturam. » Sic August.

Tertio, similem esse pharmaco, quo tamdiu

utimur, quousque durat morbus aut necessitas: cessante enim ista, cessamus etiam ab usu pharmaci. Cum enim cessat finis matrimonii, qui est proles, et concupiscentiæ remedium, uti fit in senio; cur non cessare debeat et actio? Confirmat hoc documentum Abraham et Sara quæ dixit: *Postquam consenui et dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?* Gen. XVIII. Item licet aliis temporibus sumere liceat potiones et pharmaca, non tamen ante s. communionem, quia ad reverentiam eucharistiæ id omnino prohibitum est: sic etiam in proposito. Et certe S. Augustinus, serm. CCXLIV. de tempore scribit hac de re: « Qui in die dominico vel alia qualibet solemnitate se continere noluerit, qui tunc concepti fuerint, aut leprosi, aut epileptici, aut etiam forte dæmoniæ nascentur. » Item ibid. « Quando populus Judæorum, inquit, accessurus erat ad montem Sinai, ex præcepto Domini dicebatur eis: Sanctificamini et estote parati in diem tertium, et ne appropinquetis uxoribus vestris. » Et illud: « Si quis nocturno pollutus fuerit somno, non manducet carnes sacrificii salutaris, ne pereat anima sua de populo, etc. » Sic ille. Placet hic adjungere, quod idem sanctus pater eo loco, de hac eadem materia sermonem ad populum faciens subjunxit: « Rogo vos, fratres, ut mihi indulgeatis, qui pro salute animæ vestræ cum grandi timore et cum verecundia de talibus vos admonere videor, quia, et hoc mihi expedit dicere, et vos oportet audire. Et ideo omnia quæ a nobis audistis, ubicumque fueritis, invicem vobis dicite et cum charitate vos admonete. Sicut enim reus ero ante tribunal Christi, si vobis non dixerim: et vos, si invicem quoscumque negligentes agnoscitis, admonere nolueritis, timere debetis, ne vobis necesse sit pro illis rationem reddere. »

CONCIO V.

EBRIETATIS PROLES.

I. Luxuria. — II. Impudentia. — III. Insania et bestialitas. — IV. Ira et contentio. — V. Contemptus disciplinæ. — VI. Hæresis et perfidia.

THEMA.

Cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Joan. II.

Verissimum est, quod dixit Anacharsis Scytha, tres in vite nasci botros; primum voluptatis, secundum ebrietatis, tertium molestiæ; sentiens

vini potum, quo largior et productior est, eo fieri deteriorem; et primo quidem parcum ejus usum parere jucunditatem, quia sedat sitim, largiorem gignere temulentiam, largissimum denique gignere omnis generis molestias, morbos, rixas, cædes, etc. Laert. l. I. c. IX. Verissimam hanc sententiam, quam quotidiana comprobata experientia, confirmare possumus per illam architrictini: *Omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est.* Non habet omnis caupo vinum melius et deterius; nihilominus verum est, quod ait architrictinus. Tametsi enim idem omnino vinum toto apponatur convivio, quo diutius tamen apponetur, eo dabitur deterius; quia quo largius bibitur, eo peiores gignit proles ex matre temulentia. Testis accedit Sapiens, Proverb. XXIII. qui ait: *Ne intuearis vinum, quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus: ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber et sicut regulus venena diffundet.* Videamus ergo hujus colubri proles viperinas.

I. Prima est luxuria, Prov. XX. *Luxuriosa res vinum:* et ad Eph. V. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Prolem autem hanc noxiam et venenatam effundit, cum intemperanter bibitur. Quare S. Hieronymus asserit semper ebrietati junctam esse luxuriam; datque exempla in præclarissimis viris Noe et Loth. « Noe, inquit, ad unius horæ ebrietatem nudat femora sua, quæ per sexcentos annos sobrietate contexerat. Loth per temulentiam nesciens libidine miscet incestum, et quem Sodoma non vicit, vina miscerunt. » Sic pantheræ, quæ alioquin omne animal venantur, vinosis fontibus inebriatæ capiuntur, Pier. hierogl. lib. XI. Origenes, super Gen. XIX. « Audite, inquit, ebrietas quid agat, audite quantum facinoris conciliet temulentia. Ebrietas deiecit, quem Sodoma non decepit. Uritur ille flammis mulierum, quem sulphurea flamma non ussit. » Ex quo patet dæmonem, quæ a sobriis extorquere nequit, ab ebriis facile impetrare. Unde S. Ambros. in Gen. XIX. *Quæ sobrii cavemus, inquit, per ebrietatem ignorantés committimus.* Quemadmodum enim anguillæ, quæ in aqua clara capi nequeunt, capiuntur in turbata, (Pier. lib. XXIX. hierogl.) ita viri probi, qui alioquin laqueos dæmonis facile evadunt, per ebrietatis perturbationem impelluntur in turpia peccata reteque diabolicum. Horribile exemplum refert auctor, serm. ad frat. in eremo apud S. Aug. serm. XXXIII. « Ecce, inquit, hodie ebrietatem perpessus matrem prægnantem nequiter oppressit, sororem violare voluit, patrem occidit, duas sorores vulneravit ad mortem, etc. »

Patet deinde libidinem, quæ prius in homine plurimis annis sepulta aut certe sopita jacuit, ebrietate suscitari, ut Hieronymus de Noe ostendit loco citato.

II. Secunda impudentia. Ita Thren. IV. dicitur *Inebriaberis atque nudaberis.* Quod expertus Noe, inebriatus et nudatus est, factusque opprobrium filio suo, Genes. IX. Pudor frænus est, quod honestos homines retrahit a peccatis præsertim fœdis. Hoc frænus aufert ebrietas, inde currit ebrius ut vel equus effrænis immoderato impetu quaquaversum a sua concupiscentia impulsus. Atque ut equus præ cæteris animalibus projector est ad libidinem, ad equas impetu fertur, et nec verberibus quidem retrahi potest, ubi solutus est, ita et ebriosis: itaque in eos quadrat quod dicitur, Jer. V. *Saturavi eos et mæchati sunt, in domo meretricis luxuriabantur. Equi amatores* (Hebr. *saturati seu bene pasti*) *et emissarii facti sunt.* Unusquisque ad uxorem proximi sui hinciebat. Audi Senecam, ep. LXXXIV. lib. XII. « Certe, inquit, eruit omne vitium ebrietas et incendit et detegit, obstantem malis conatibus verecundiam removet. Plures enim pudore peccandi quam bona voluntate prohibitis abstinent. Ubi possedit animum nimia vis vini, quidquid mali latebat, emergit. » Anna illa I. Reg. I. sapienter vocabat ebrios, filios Belial, id est, absque jugo, qui videlicet jugum abjecerunt et pudorem. Cum enim Heli eam argueret ebrietatis: *Usquequo ebriaberis, digere paulisper vinum, quo mades,* respondit illa: *Ne reputes ancillam tuam quasi unam de filiabus Belial.* Huic adstipulatur S. Hieron. qui in reg. monach. ait: *Omnes qui ebrietatem sectantur, filii Belial vocantur, quia venter mero æstuans facile despumat in libidinem.* Maxime vero tales sunt, quos etiam in templum venire non pudet ebrios. Videtis ergo impudentissimæ lasciviæ causam esse saturitatem et ebrietatem. Exemplo est Holofernes qui ex nimio potu *jucundus factus est ad Judith, q. d. lascivus.*

III. Tertia insania et bestialitas. Dicit enim Oseas, c. IV. *Vinum et ebrietas auferunt cor,* id est, mentis aciem seu intellectum et judicium: et c. VII. *Cæperunt principes furere a vino.* Unde bene Seneca, ep. LXXXIII. ebrietatem vocat *voluntariam insaniam.* S. Basilius, hom. in ebrietatem: *Quid quæso, ait, sunt ebrii aliud quam gentium idola? Oculos habent et non vident, etc.* S. Hieronym. c. V. ad Gal. *Ebrius, inquit, homo est nec mortuus, nec vivus.* Denique Thren. IV. comparantur ebrii lagenis testaceis, quæ vino tantum plene, mentis vero inopes sunt. *Reputati sunt in vasa testea,* ait Jeremias. Denique de his ait Isaias, c. XXVIII. *Absorpti sunt a vino.* Dum enim absor-

bent vinum, absorbentur interim a vino, dum ex hominibus bestia fiunt. *Ut aqua ignem extinguit, ita vinum extinguit rationem; et ut aqua maris naves, sic vinum vitis homines submergit,* ait S. Basilius, hom. dicta. Hinc Holofernes temulentus in lectum non iisse, sed cecidisse dicitur, Judith. XIII. in textu Græco, instar equorum videlicet, qui ad somnum corruunt. *Quid autem fœdus,* ait Musonius, in l. de victu, *quam ut homo bruti animalis imago sit?* In litteris annuis soc. Jesu, anno 1585. pag. CXCIX. Indus vino deditus cum pœnitentiæ beneficio naturam tandem vicisset et ad sobrietatem se revocasset, candidum dicitur adolescentem per quietem vidisse, qui eum prehensa manu ad compotatorum cœtum conviviumque deduceret; ibi animadvertisse eorum, qui accumbebant, vultus, primo quoque posulo hausto, mutari, deformesque fieri; qui vero pergerent perpotare, et crebris poculis indulgerent, eos fœdissimo ore simillimosque dæmonum evadere, dixisseque adolescentem tales effici eos qui se vino et ebrietatibus dedissent: Indus autem sobrius esse cœpisse, et incredibilem quemdam temperantiæ amorem dicitur animo concepisse.

Verum non corporis tantum forma et compositione bestias representant ebrii, sed et moribus etiam. Quando enim paterfamilias ligatus est, tunc servi dominantur: fele expulso, dominantur mures; ita quando ratio captiva et e cerebro expulsa est, tunc in homine dominantur et lasciviunt passionem et motus concupiscentiæ. Et quemadmodum Circe, apud Ovid. l. XIV. metamorph. philtro suo dicitur Ulyssis socios in sues mutasse; ita et ebrietas in omni generis bestias mutare homines solet. Videas alios suum instar volutari in luto, grunnire, bibere e pileis, calceis, crepidis, etc. mensam invertere, in patinas et pocula ruere, etc. alios leonum more rugire, furere, æstuare, quasi obvios quosque invadere et devorare velint, alios leporum ritu animo cadere et plorare, alios canum instar mordere conviciis, contumeliis. Athenæus, lib. II. ex Timeo et Rhodigin. l. XVII. narrant juvenes quosdam Agrigenti in Sicilia vini nimia ingurgitatione adeo dementatos aliquando fuisse, ut se in triformi navigare, et terribili tempestate in mari jactari crederent; quin et supellectilem omnem, quasi navim exoneraturos, foras eiecisse. Dum igitur ea diriperentur, quæ abjecerant, postredie arcesserunt eos urbis prætores; quibus interrogantibus responderunt se in naufragii periculo navim exonerasse: quibus insaniam mirantibus, unus ait: Ego, o Tritones, metu consternatus sub infimo navis tabulato abditus jacui.

Monentibus tandem iudicibus ne deinceps ita se ingurgitarent, gratiam se habituros responderunt ubi ad portum appulerint. Hinc domus illa triformis dicta est.

IV. Quarta ira et contentio, teste Sap. Prov. XX. *Tunaltuosa* (res) *ebrietas:* et Prov. XXIII. *Cui væ? Cujus patri væ? Cui rixæ? Cui fovæ? Cui sine causa vulnera? Cui suffusio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino et student calicibus epotandis? Accedunt gentiles, qui Bacchum vocabant, Liberum patrem, quod instar furiosi liber et solutus esset ac cornupeta (unde et cornua ejus simulacro appingebant.) Eandem ob causam tauri furiosi cornibus frænus alligabant (unde natum proverbium: *Frænus habet in cornu*) quod furor et rixæ e nimio pabulo prodirent. Exemplo est Herodes, qui ut S. Augustin. ait: *Ubi nimio mero concaluit, ad unius puellæ saltatiunculam, Joannem Baptistam præcursorem decollari præcepit,* Matth. XIV. Alexander M. Clytium sibi amicissimum, pro quo sobrius vitam profudisset, ebrius interfecit. Quo exemplo edoctus Aragonum rex Alphonsus vinum aqua diluebat, et ebrietatem maximopere cavebat. *Scio namque,* aiebat, *quantum Macedonis Alexandri gloriæ obscuravit ebrietas.* Et rursum: *Quia scio furorem et libidinem ebrietatis esse filias,* Panorm. l. II. de rebus ab eo gestis. Recte igitur ebrii dicuntur ab Isaia vino æstuare (Septuaginta vertunt: *Vinum enim succendit vel comburet eos*) quasi ardentibus tædis velut furie discurrant infernales. « Quis enim currus, (ait S. Basil. hom. de ebrietate,) equorum indomitum, ita præceptis fertur dominum suum excutiens? Quod navigium ita gubernatore destitutum, ita fluctibus exagitatum et concussum, quod non sit securius ebrius? » Ibidem ebrietas vocatur a Basilio *dæmon voluntarius.* Nam ebrius velut obsessus furit, cædit, vulnerat. Verum id indignum, quod voluntarie hoc agit et sua culpa, quod obsessus facit nolens et absque culpa.*

V. Quinta, contumacia seu disciplinæ contemptus. Sic dicitur, Isa. XXVIII. *Erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem,* id est, contempserunt Deum omnia videntem, vel prophetas dehortantes: et Jer. XXV. *Bibite et inebriamini et vomite et cadite; neque surgatis a facie gladii, quem ego mittam inter vos.* Vult dicere: Non surgetis, nec vobis consuletis, quia vino madidi monentem non audietis. Quod sane ostensum in Balthasare, qui cum jam temulentus bibisset e vasis sacris, vidit digitos Dei scribentes ei cladem et exterminium. Et quamvis Daniel explicuerit ei scripturam et iram Dei impendentem denuntiaverit, nihil tamen motus aut emendatus est, quamvis alioqui nondum omnino a mente dejectus esset:

(præcepit enim Danielem indui purpura ob scripturæ expositionem) non surrexit a mensa, non corripuit arma, ut se hosti jamjam adventuro opponeret, non clamavit ad Deum pro venia vel auxilio. Quare nocte subsequente Babylon capta est et rex occisus, Dan. V. Itaque licet ebrii ad alia quædam facienda attentis esse possint, ad Dei tamen verbum et salutem suam prorsus stupidi sunt. Quin etiam refractarii sæpe et in monitores suos injurii, quod exemplo Cambysis Persarum regis discere possumus. Hic enim cum de bibacitate argueretur a Praxaspe consiliario suo, ut vitium excusaret, jussit mox adduci filium Praxaspis et ad palum alligari, sicque ad parentem pueri fatus: *Tum demum proba, si sim ebrius, cum collimato hoc spiculo cor filii tui tetigero*, jacto telo confixit et occidit puerum, Fulgos. lib. IX. Quamobrem prudentissima illa Abigail viro suo Nabal reprehensione dignissimo, cum videret eum temulentum: *Non indicavit verbum pusillum aut grande usque mane*, ait s. textus, I. Reg. XXV. donec edormiret crapulam: quia nimirum ebrius nec modestæ, nec asperæ reprehensionis capax erat. Similiter et Moyses descendens de monte vidensque vitulum et choros circa illum, iratus valde projecit de manu tabulas legis et confregit eas, Exod. XXXII. Quam vero ob causam? Respondet Hieron. I. II. contra Jovin. *Fregit audacter tabulas, sciebat enim Dei sermonem audire non posse temulentos*. Mira res profecto! Tabulæ enim illæ a Deo datæ et scriptæ erant, adeoque apud populum plurimum ponderishabituræ; nihilo tamen secus fregit eas Moyses, et audacter quidem, quia nulla apud ebrios valet prædicatio. *Absurdum Moyses esse existimavit, si legem Dei populo ebrio legemque infringenti afferret*, ait Chrysost.

VI. Sexta, hæresis et perfidia. Nec enim frustra dixit Ecclesiasticus, c. XIX. *Vinum et mulieres apostatate faciunt sapientes*. Confirmatur hoc exemplo Balthasaris, qui præcepit jam temulentus ut afferrentur vasa aurea et argentea, quæ abstulerat pater ejus de templo et laudabat deos suos, etc. Dan. V. Ita nimirum ab ebris primo sacra profanantur et sacrilego ore ridentur, inde paulatim prodit hæresis et perfidia. Et hinc fere Lutheri hæresis tot in præceps rapuit civitates et regiones, quia apud illas tunc ridebantur sacra, contemnebantur sacramenta, missa in ludibrium trahebatur, sacerdotes et religiosi opprobrium illis erant, et hæc fere apud ebrios et Bacchi studiosos. Eodem modo Græci, quia maxime dediti ebrietati et conviviis, inde in vitia alia, ac demum in hæresin lapsi sunt, postremo in prædam Turcis dati, qui vinum secundum legem suam

execrantur, et vineas ubi possunt, succidant. Germaniam autem nostram Græciæ sororem esse quantum ad ebrietatem, quis non videat? Quidquid inchoatur, quidquid et finitur, vino inchoatur et finitur; si quis te invisat, propinando illum salutas, eidemque valedicis poculo S. Joannis: neminem honorare norunt, nisi pergræcando; hoc medio eriguntur fœdera et societates, optantur sanitates, promittitur fidelitas, aguntur Deo gratiæ. Jure huc referimus, quod Fridericus Fornerus suffraganeus Bambergensis, in lib. I. de temulentia malo scribit, cap. X. « Mihi, inquit, necnon et pluribus aliis, retulit primarius quidam Franconicæ nobilitatis eques, raræ senectutis et canitie, cui vel eo major fides tribuenda, quod Lutheri doctrinam et ipsemet profiteretur, et Lutherum se sæpius ad populum concionantem inaudisse, contestaretur; mihi retulit, inquam, se florente adhuc ætate juvenem magno cuidam et catholico imperii principi (quem et nomine tenus ipse indicabat, quod consulto subticendum nobis) inserviisse, et quod dicam, suismet auribus et percepisse, et oculis aspexisse. Institutum erat a duobus aliis Protestantium confessioni addictis imperii primoribus splendidissimum regali luxu convivium, ad quod vicinitatis et amicitia causa tertius ille catholicus identidem vocabatur, occulti, quod clam institutum erat, ignarum plane stratagematis. Ergo inter accumbendum epulis ampla hinc inde pocula in circum e manu ad manum transmissa optabantur, quibus insidiose callideque catholicus ille ut plurimum petebatur eo consilio, ut largius bibendo inebriaretur. Successit illorum fraudulenta et funesta machinatio ad sententiam, magno plurimorum infortunio atque Ecclesiæ catholicæ ingenti ruina. Surgitur itaque mensis remotis, statur de more, ulterius bibitur, varia interim per fucum de religionis, quam appellabant reformatione, de publica pace, de imperii salute, in medium adferuntur. Tum demum apostrophe ad catholicum fit, demulcentur blanditiunculis aures, mellea verborum suavitate animus delinitur, aurei montes promittuntur, velit modo et ipse huic sententiæ subscribere, novam ac reformatam religionem capessere, atque in sua ditione propalare. Renuit ille plusculum, cunctatus dubitat. Instant isti, urgent, hortantur, incitant; metum excludat omnem, sua princeps nimirum imperii libertate utatur. Lubricam tandem vinoque labefactatam superavit inconstantiam istorum importunitas, imo facile persuasibilem temulentiam vicit, atque ita vicit, ut juramento, se id acturum et confirmatum effectui daturum, interposito fidem suam sponderet. Edormit a mane crapula cum pro-

missi ac jurisjurandi admonitus esset, ita vehementer doluit penititque facti, ut in fletus et suspiria mirabili planctu erumperet. Verum ne perjurii nota ipsi aspergi posset, catholicam et orthodoxam religionem suo sensim loco movit, et novam illam absque strepitu subinvexit. Fertur eum principem reliqua vita valde in religione dubium, ancipitem, atque varium evasisse, et corporis viribus, pristinaque rerum omnium affluentia et prosperitate plurimum defecisse, ac non ita multo post calamitoso satis exitu ex hac vita decessisse: atque hac ratione ebrietas imperatoris aquilæ ex alarum altera unam præclaram extraxit pennam.

Jam vero quæso te, quid diceres, si tibi filius tuus duceret in domum tuam pessimam societatem, v. g. lycinam, scortum, morionem, militem, hæreticum, etc. Annon tu hos repente ejectives e domo? Atqui tales socios, imo proles, affert tibi ebrietas, etc.

CONCIO VI.

CAUSÆ CUR MULTI EGEANT.

I. Otium et inertia multorum. — II. Injustitia. — III. Avaritia divitum. — IV. Luxus et ingluvies pauperum. — V. Fastus ditiorum. — VI. Impietas. — VII. Diffidentia de Deo.

THEMA.

Vinum non habent. Joan. II.

Tametsi maximum et præclarissimum est miraculum hodiernum, quo Dominus aquam convertit in vinum, quemadmodum et illud, quo pauculis panibus mirabiliter multiplicatis, aliquot hominum millia iterato pavit; tamen si recte advertamus, hoc utrumque miraculum quotannis replicatur in toto orbe terrarum. Qui enim hodie vinum ex aqua fecit, et alibi panes et pisces multiplicavit, idem ille singulis annis de paucis granis segetes (ut loquitur S. August. tract. XXIV. in Joan.) creat, et in ipsis vitibus admirabili ratione et modo aquam in vinum convertit, pluviam scilicet, quam super vineam mittit: *Neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus*, I. Cor. III. Ad hæc quemadmodum hodie Dominus de vino providit omnibus sufficiente et alibi de panibus; ita per annum quoque procreat sufficientem et vini et panis copiam, quanta omnibus sufficere possit hominibus ad necessitatem, imo abundantiam. Quia *dat omnibus affluenter, et non impropere*, Jac. I. Unde vulgo quidem, sed

non vane dici solet: Deum unicuique hominum ad singulos dies singulas vini mensuras singulosque panes produxisse, et quantum in ipso est, destinasse: quod non difficile conjici potest, cum pene omnes provinciæ frumenti et vini fertiles sint: ac si quæ eorum aliquo careant, ex vicinis locis, qui iis abundant, facile habere possunt, cum ipsæ in alio abundant. Jam vero si ita est, unde tot egentes, qui non modo vinum non habent ad bibendum, sed multoties nec panem ad edendum, et vestem ad induendum? Quidnam illud est, quod continua Dei miracula, quibus ex pluviis facit vinum, et ex paucis granis frumentum, idemque copiosum, obscurat et extenuat? Num putamus summum orbis rectorem et communem nostrum Patrem nolle aut non posse nobis alimenta comparare quæ omnibus sufficiant? Non possit, qui omnia potest? Non velit, qui aves cœli pascit: *Qui dat jumentis escam et pullis corvorum invocantibus eum*, tam inutilibus et contemptis avibus? Aliæ igitur causæ sunt, cur multi inter nos egeant, et ni fallor, hæ quæ sequuntur.

I. Inertia et otiositas multorum, qui si laborare et industrii esse vellent, facile acquirerent, unde commode sustentari, imo et affluere possent; at quia hoc nolunt, merito egent et aquam bibunt. Prædixit hoc totum Sapiens, Prov. VI. *Usquequo piger? Quando consurges e somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus tuas ut dormias, et veniet tibi quasi viator egestas, et pauperies quasi vir armatus; si vero impiger fueris, veniet ut fons messis tua, et egestas longe fugiet a te*. Hæc Sapiens. Ubi advertendum, paupertatem inertibus subito advenire instar viatoris inopinato adventantis, et instar militis armati, qui si in domum tuam locetur, non discedet cum tu volueris, sed ipse te potius ejiciet, et supellectilem tuam perdet, aut e fenestra ejiciet, aut diripiet; et quæ tu comedere volebas ipse comedet, etc. Multi sane patrimonio suo freti manus in sinum ponunt, spatiantur, societatem sequuntur, otiantur; de repente tandem, ubi domum venerint, inveniunt hospitem, qui vocatur egestas, et quidem adeo fortem ut domum alteri vendat. Contingit autem illis, quod fatuis virginibus, Matth. XXV. quæ oleo accepto in lampadibus non acceperunt aliud in vasis quo lumen conservarent, quod tamen fecere prudentes: unde cum dormissent, media nocte excitatæ viderant extingui lampades suas, nec jam habebant, quo eas alerent. Multi tales fatui, qui patrimonio divite accepto, putant nil sibi amplius posse deesse, unde nec oleum in vasis accipiunt, id est, nulli se addi-